

PROBLEMA PRIMVM.

Quo pacto instrumentum sisti debeat commonere.



IN loco circumquaque detecto radijsq; stellarum exposito statuæ saxum quoddam, cuius superficies per quam planissima horizonti tuæ regionis æquedistet, quod quidem fabri lapidarij munere facillime comparabitur. In ea superficie lineam Meridianā ducito, quæ per medium saxi iam nunc stabiliti, quo ad fieri potest incedat. Deinde eleua tabulam Aequinoctialem secundum magnitudinem anguli, quem Aequinoctialis & horizon tuæ regionis continēt, id est, secundum altitudinem Meridianam punctorum Aequinoctialium, quæ quidem cum eleuatione poli quadram circuli conficit. Id autem commode absoluetur, si duas tabellas mensales horizonti & tabulæ Aequinoctiali interpones, quarum latera inuicem inclinata si producantur ad tantum angulum concurrant. Tales fecimus ad latitudinem 47. graduū & dimidiij, quam ciuitas Strigoniensis ferme sortitur. Eas autem tabellas partibus Instrumenti superius nominatis non adnumerauimus, quòd aliæ regiones diuersis latitudinibus alias exposcāt huiuscemodi tabellas. Eleuata igitur ac firmiter collocata Aequinoctiali tabula, totum instrumentum pone supra saxum modo prædicto dispositum, ita ut linea Meridiana instrumenti, quam uidelicet in tabula horizontali duximus rectissime adaptetur ei quæ in superficie saxi est lineæ Meridianæ.

PROBLEMA SECVNDVM.

Verum locū Solis per diem mensis datum agnoscere.

EXtremitas regulæ longitudinis posita supra diem mensis propositum in circulo annali locum Solis propemodum in
b v signifero